

les Philosophorum optimus. His tandem omnibus, si quis recens defunctus est, subjicitur consolatio, additur quoque de liberis, discipulis, posteris: quod fecit B. Ambrosius in funere Theodosij, Ergo tantus, inquit, Imperator recessit à nobis, sed non totus recessit: reliquit enim liberos suos, in quibus eum debemus agnoscere, & in quibus cernimus & tenemus. Intelligit autem Honorium & Arcadium, qui Patri in imperio successere.

Atque methodus hæc, ut ut vulgaris videatur & scholam redolere, uti loquitur Vossius, usitatissima est tamen Vitarum scriptoribus & antiquis & recentioribus, uti & parentantibus. Certè Suetonius Tranquillus in Augusto & ab ejus genere cœpit & in ejus obitu finiit.

De hoc Imperatore dicturus est noster GÖBELIUS, nos, ne ipsi aliquid præripiamus, unum aut alterum ex Augusti jocis, prout chartæ suppetierint, huc ponemus, & quidem ex Macrobi Viri Clariſſ. & Illustris lib. Saturnal. II. cap. IV. cuius hæc sunt verba. Augustus Cæsar affectavit jocos, salvo tamen majestatis pudorisq; respectu, nec ut caderet in scurram. Digna tanto Principe commendatio, necessaria quoque ad alias doctrinæ. I. Ajacem Tragoëdiam scripsérat, eamdemq; quod sibi displicuisset, deleverat: postea Lucius gravis tragoëdiarum scriptor interrogabat eum, quid ageret Ajax suis? Et ille, In spongiam, inquit, incubuit. Festivo in Ajaxis Telamonij obitum lusu, qui gladio suo incubuit, cùm ab Ulyssle in armorum judicio superatus fuisset. Confer Sueton. cap. XXCV. II. Cùm ei quidam libellum trepidus offerret, modò proferens manum, modò retrahens, Putas, inquit, te assēm (stipem, στυπότατον νόμισμα) elephanto dare? Sueton. c. LIII. Moleustum erat principi optumo, quod tanto metueretur opere. III. Pacuvius Taurus congiarium ab eō petebat dicens, Jam homines vulgo loqui, non parvam sibi ab Augusto pecuniam datam fuisse, Sed tu, subjecit, noli credere. Vulgarius dixisset & absque sale, Non dabo. IV. Eundem expressit colorem in sequenti. Alium præfecturā equitum summorum & in-

super